

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARVM

Disquisitio Decima

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Salani
Rectore


Respondente,

ERHARDO WEIGELIO

Wonsfeldia-Franco

Dominica II. post Epiphantias.

A. O. R. cl. l. c. III. L.



HALLIS SAXONUM

*Prelo Hæredum Melchioris Oel-
schlegelij.*

DIVINARUM
EVANGELICARUM

Disputatio Prima

PRÆSIDII

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Salani

Rectoris

Respondens

ERHARDO WEIGELIO

Wortheis-franco

Dominica II. post Epiphania

M. D. C. LXX. III.

—————

HALLÆ SAXONIÆ

Prolo. Harv. in Melchior. Col.

librarij



ANALYSIS
EVANGELII

Dominica II. post Epiphantias.

Joh. 2. à v. 1. usq; ad 11.

Præfamen,



Verisimum est illud i-
psum, quod legitur Cant. 6. 9.
pulchra es amica mea ut Luna,
electa ut Sol, ac terribilis ut aci-

es caritatum ordinata: siquidem ordo etiam
in minimis observatur, uti à Deo, ita in ritibus
merito ecclesiasticis. Id quod etiam ordinariè
pericopa Evangelicæ hætenus videntur pro-
bare, dum Politicum in Magis orientalibus
ordinatum observamus, Ecclesiasticum ex
templo Hierosolymitano, in quo sedet puer duo-
decennis probamus; Et modo in nuptiis Canæ
celebratis domesticum consideramus. Acies

N

ergo

ergo ordinata est amica, hoc est Ecclesia Christi.
De hoc domestico statu habetur in Evangelio,
in quo ostenditur.

THESIS I.

Partim nuptiarum solennitas, ubi est circumstantiarum denotatio, v. i. in quo quoad accidentalia, est cum circumstantia temporis: & die tertia. Per quam vel intelligitur accessus in Galileam, vel postquam Petrus ad Christum adductus fuit, vel à tentatione Christo à Satana allata, uti Euthimius arbitratur: quamvis interveniat vocatio Philippi, colloquium cum Nathanaele ut vix triduo illud ipsum effici potuerit. Interim tamen non ineptè accommodatur, quod in tertium diem à Sabbatho nuptie sint differenda: Siquidem festivitates nuptiales etiam habent suum ordinem, nec omni tempore sunt celebranda: Vt discamus, nihil frustra positum. Primo etiam die primum millenare denotatur, quo tempus Patriarcharum ante legem; altero, secundum millenare, quo tempus Prophetarum sub lege; tertio verò tempus gratiae, cum ad agni nuptias invitati sumus: ante legem Patriarcharum exemplis, sub lege Prophetarum scriptis, sub gratia

Ev-

Evangelistarum praconiis: ubi Christus terra quasi diei luce mundo refulsit, & in carne natus apparuit, inquit Beda. Simulq; ut discamus inter sponsalia & inter nuptias tempus aliquod esse, sed non longum, interponendum.

2. Et exponitur tum materia sive res ipsa: nuptiae factae sunt, seu convivium nuptiale, uti Syrus nominat, & uti vox γάμος ita usurpata Gen. 29, 2. & Est. 2, 18. probat. Ut exinde intelligatur, nuptiales solennitates esse antiquissimas, & probandas, uti colligitur ex Gen. 24, 54, Jud. 18, 17. Matt. 22, 2. Ob 1. thori legitimi dignitate, qui requirit has solennitates 2. ob publicam honestatem, cum conviva nuptiales deinceps de iis testari possunt. 3. Ob precum piorum hominum necessitatem; Et tandem 4. ob rerum, quae nuptias sequuntur majestatem. Quod etiam Demosthenes vidit, uti habet in Oratione. Modo fiant absq; abusu, quemadmodum Chrysostr. monet homil. 12. in c. 4. ad Coloss. & sint ordinate in nomine Iesu, Coloss. 3, 17. utq; preces non negligantur, quod & ethnicus Plato lib. 5. de Rep. monuit. Inde Chrysostr. ait, hom. 42. in acta Apostolica: licet alias exhilarare nuptias ut pote multiplicis mensis & precipuis vestimentis: Hac non improbo, inquit, ne videar esse valde agrestis:

N 2

Omnia

Omnia tamen oportet esse plena castitate, omnia gravitate, omnia honestate.

3. Tum loci Circumstantia : in Cana Galilææ. Seu Cana minori & inferiori, in tribu Sabulon, ad differentiam Cana majoris, qua in Syrophœnicia Sareptam versus inter Tyrum & Sidonem sita, in tribu Asser, Ios. 19, 28. quæq; patria mulieris Cananæa Matt. 15, 12. Ista enim tribus tantum milliariibus Nazarethæ distat, in declivi montis, estq; patria Nathanaelis & Simonis Cananæi. Matt. 10, 4. uti Adrichonius in theatro terræ ostendit: licet Chemnitius Canam faciat triplicem. Dicitur verò Cana à קָנָה quod lamentari denotat, aut à זֶלָה quod zelulari ut discamus hoc Zelo uxorem ducendam esse, non ut cum ea maneamus in luxuria, sed ut cum ea evitemus luxuriam, habet Radulphus Ardens Habent enim & nuptiæ castitatem suam, proinde peccant, qui non recto Zelo, sed propter libidinem, propter pulchritudinem, propter pecuniam uxorem ducunt.

4. Quoad personalia: & erat Mater Iesu ibi. Quæ est Maria, & ut Syrus explanat, aderat iam illic, antequam filius. Unde colligitur, Sponsam vel Sponsam fuisse ex cognatione Maria ipsa; 1. adest convivis non dum convocatis quia 2. non discumbit, sed necessaria

cessaria curat. Iosephi autem non fit mentio, dum à nativitate Christi usq; ad has nuptias 30. anni intercesserunt; ille vero anno 16. post Maria desponsationem mortuus scribatur ab Epiphanio hæresi 78. Inde q; nec hic, nec alibi nominatur. Quis autem propriè Sponsus fuerit, disputatur. Nicephor. l. 4. hist: C. 30. opinatur fuisse Simonem filium Mariae Iacobi, quia frater Christi dicitur, Matth. 13, 55. Et Marc. 5. 18. cognominatur Cananae. Quod etiam confirmat Mantuanus dum consobrinum Christi vocat. Colligimus autem ex ipsorum presentia, cognatis esse etiam in talibus festivitationis succurrendum.

5. Et à subjectis individuis per Synechdochen hospitem denominatio, vers. 2. in quo tum principalis: Vocatus est autem & Iesus. Non quidem, ut Theophylactus vult in cap. 2. Iohannis ex Chrysostomi homil. 20 in Iohan. ut videant miracula, vel aliud quoddam magnum, sed simpliciter vocatus ut notus. Affuit ergo & vocationem non repulit quia non respexit ad domum dignam, sed ad utilitatem & beneficia nostra. Nam qui non dedignatus fieri servus, multo magis non dedignatus est venire ad nuptias: nec secularia instituta contempsit, quia ad haec venerat corrigenda, inquit August. serm. 41. de

temp. Oportebat sane, quoniam totam naturam hominis voluit in melius restaurare. Cyrillus l. 2. in Ioh. c. 22. Et non solum nobis iam hominibus benedicere, sed etiam nascituris gratiam preparare. Si itaq; thorus immaculatus, & nuptia debita institutione celebrata non placuissent, nequaquam eas signorum suorum initio consecrare. Dominus voluisset, habet Beda.

6. Tum ministerialis causa, vel persona, & discipuli ejus. Non quidem omnes, sed illi, qui haecenus vocati, Andreas, Petrus, Philippus, Nathanael & Iohannes Ioh. 1, 37. Ut discamus, quales sint invitandi ad nuptias, primario Christus, deinde quoq; ejus discipuli, non scurræ & meretrices, uti monet Chrysostr. hom. 12. c. 4. Colos. Felices autem sunt illae nuptiae, quibus Christus est praesens cum discipulis.

7. Partim miraculi celebritas, quae patet ex effectis. Ubi praemittitur tum occasionis indicatio per causam impulsivam exteriorem, estq; inibi Matris sollicitatio, v. 3. in quo causa: & deficiente vino: quia sponsus tantum pro numero convivarum curaverat: cum vero plures accesserint, vinum minutum est, 1. quod, v. 5. epw denotat, quemadmodum septuaginta

aginta hebraicum **רדף** Gen. 8, 3. hac voce
 explanant; quia 2. Christi debuit manifestari
 gloria, uti habet Beda; & quia 3. deficere de-
 hebat, ut habet Radulphus Ardens, ebrietas,
 luxuria, rixa, tumultus & omnis intemperan-
 tia; & quia 4. conjugium uti est academia
 virtutum, ita etiam calamitatum Schola; &
 quia 5. scimus Christum in paupertate cum
 primis preste esse. Quin nonnunquam vi-
 num deficit, gratia scilicet devotionis & fervor
 charitatis, uti habet Bernh, serm. 2: in Dom. 1.
 post Epiph.

8. Tum est matris cura: dixit mater i-
 plius ad eum vinum non habent. Non
 quasi omne ebiberint & intemperanter con-
 sumserint; sed exhortatur illum mater ut faci-
 at miraculum, que magnam de ipsius potesta-
 te presumpserat opinionem, tam ob conceptio-
 nem, quam ob partum, que omnia conser-
 varat in corde suo. Luc. 2, 51. Audiverat
 enim mater de testimonio Iohannis, uti habet
 Theophylactus in Iohan: & optat, ut iam
 hominum gratiam sibi conciliaret: & fortasse
 aliquo humano afficiebatur affectu, quemad-
 modum & fratres eius dixerunt. Ioh. 7, 4. o-
 stende te ipsum mundo, cupidi ipsius miracula
 sibi famam comparare, quod habet Chrysoft.

Homil. 20. in Iohannem. Simulq; probatur
exinde eius in proximum charitas, dum pro
miseris sollicitat & de exauditione non dubitat,
ut ex eo quod ministros iubet pissa prestare
tur.

9. Tum est Christi responsio, cuius
antecedens est modesta informatio. v. 4. in
quo ostenditur, de sumptam illam esse, a non
necessaria curiositate: quid mihi & tibi mu-
lier? siquidem in iis, qua ad officium pertine-
bant, ut in exaudiendis precibus, conferendis
beneficiis divinis nullum eius jus agnoscebat.
Non quasi excluderes sollicitudinem de proxi-
mo, qua potissimum ad Christum pertinet.
1. Petr. 5. 7. sed particula quid interrogative
posita saepe negat, ut Iud. 11, 12. 2. Sam. 16, 10.
Inde insit August. tract. 9. in Iohann. quid est
hoc? ideone venit ad nuptias ut doceret matres
contemnere? ideone venerat ad nuptias, ut ex-
honoraret matrem? cum & propter filios ha-
bendos, quibus reddere honorem parentibus
imperat Deus, ipse nuptiae celebrentur & uxo-
res ducantur. Ille singulariter natus de patre
sine matre, de matre sine patre. Mater ergo erat
carnis, mater humanitatis, mater infirmitatis,
quam suscepit propter nos. Miraculum au-
tem, quod facturus erat, secundum divinita-
tem

ram facturus erat, non secundum infirmitatem,
 secundum quod Deus, non secundum id quod
 infirmus. Miraculum ergo exigebat mater:
 at ille non agnoscens viscera humana, operatu-
 rus facta divina: nam à se, neq; non rogatus ad
 actionem miraculorum Dominus solet accede-
 re: necessitati enim & usui hominum gratiam
 suam præbere solet, quamvis gratiora etiam
 sunt quæ petuntur, si aliquantulum differuntur.
 Et ita etiam voluit fidem matris explorare.
 Adhæc quantus honor parentibus debeat, o-
 stenditur, cum statim ad actum propter ma-
 trem accedat, habet Cyrillus. l. 2, in Ioh. c. 23.
 Ita se Deum ostendere voluit, movet Gregori-
 us M. Epistola. 42. l. 8. & ut affectum, quem
 mater præ se ferebat humanum retunderet,
 utq; se in necessitatibus sine intercessionibus ro-
 gandum esse moneret, simulq; in beneficiis con-
 ferendis non habendam esse rationem sangui-
 nis simpliciter doceret, uti habet Bernhardus
 Dominica in primam post octavam, serm.
 2. ex Matth. 12, 48. Tandem ut matrem
 non invocandam esse innueret, quemadmo-
 dum Epiphanius, hæres. 79. declarat. Immo-
 rigeris autem liberis hic textus nihil patro-
 cinatur, inquit Iustinus, quæst. 136. ad ortho-
 doxos, quia ut verbis matrem Christus incre-
 pavit.

pavit, sic Paulo post operibus eam honestavit.
 Sub mulieris autem nomine non semper latere
 ignominiam patet ex prima promissione. Gen.
 3. 12. ut potius huc respexisse videatur: quam
 vocem etiam repetiit in cruce pendens. Iob. 19.
 de Cananea dixit, Marc. 8. 14. Justin. q. 136.
 10. Et à negata temporis oportunitate:
 nondum venit hora mea. Vbi per Synech-
 dochen speciei tempus opportunum ad agen-
 dum aliquid intelligitur. Rom. 13. 11. Luc. 22.
 53. Non quidem quasi obnoxius sit necessita-
 tibus temporum, vel horas observaret: quomodo
 enim hoc dicere possumus, inquit Theopyl.
 tract. 8. in Joh. de factore temporum & seculo-
 rum, sed quia venit hora non necessitatis, sed
 voluntatis, non conditionis, sed potestatis. Id est
 nondum sciunt convivae vinum deesse, sine pri-
 mum intelligant, satis non est quod sola referas:
 mater es, & suspitiosum miraculum faceres, ha-
 bes Chrylost. homil. 20. in Joh. Athanasius
 quidem & Beda horam passionis intelligunt,
 ubi matrem agnoscere nec illi gratificari vult.
 Irenæus intelligit horam à patre cælesti præco-
 gnitam. Nyssenus horam ætatis. Sed rectius
 tempus opportunum intelligitur: nam alia est
 hora Mariae & hominum, alia est hora Christi,
 quam patienter expectare debemus: exauditi-
 onis

onis enim dilatio, habet Bernh. non est orantium damnatio, sed fidei probatio, ut admone-
ret qua dignitate miracula facienda: quod
enim mater petebat, erat gratia temporalis,
quod Christus parabat gaudii sempiterni. Ma-
ximinus Taurinensis, homil. 1. in Epiph.
Domini.

11. Consequens est matris ordinatio.
v. 5. in quo Causa efficiens: dixit mater ejus.
Non itaq; confusa. Et repulsa: magnam enim
certè auctoritatem dignitatemq; deferri sibi à
Domino non ignorabat, habet Cyrillus l. 2. in
Iohan. c. 24.

12. Tum materialis ministris. Ne vi-
deretur occurrere Et festinare ad miraculorum
operationem propter assentationem Et vanam
gloriam ministros preparat.

13. Et forma: quodcunque dixerit vobis fa-
cite. Colligit enim ex responso filii non defu-
turum Christi auxilium. Ideoq; non ad se in-
vitat ministros auxilium ipsis promittens, sed
ad Christum. Et errorem suum quasi corrigens
à ministris postulat, ut Christo nihil prescri-
bant, sed morem gerant in omnibus: nec e-
nim quod nobis rectum videtur, sed quod Deus
precipit, tantum faciendum, Deut. 12, 8.

14. Et

14. Et exponitur, tum miraculi præstatio, cuius causa instrumentalis est hydriarum descripta collocatio v. 6. in quo de earum materia: erant autem ibi hydriæ lapideæ. Quia non erant portatiles: sive fictiles, uti vulgares Iud. 7, 20. Iob. 4, 28. sed labra seu vannis tanta magnitudinis ac capacitatis, ut loco non moveri potuerint.

15. Tum accidens, in specie respectu quantitatis: sex. Per quos August. tract. 9. in Ioh. & Beda super hoc Evangelium & Bernh. sex aetates intelligunt, quibus non defuit prophetia. Beda etiam sex annorum millia arbitratur. Arcadius sex misericordia opera, 1. cibum dare esurienti. 2. potum sitienti, 3. vestire nudum. 4. suscipere peregrinum. 5. mittere infirmo, & 6. solari vini haustu captivum innui arbitratur: easq; lapideas, quia hæc fortia sunt opera contra adversa. Sunt verò alias sex hydria omnibus sponsis apposite, nempe 1. hydria inopia & paupertatis, uti videre est in vidua Sareptana 1. Reg. 17, 13. 2. liberorum infelicitatis, uti Rebecca experta, Gen. 25, 22. & Iob. c. 1, 19. 3. rixositatis, uti idem sensit Iob. c. 2, 9. 4. infidelitatis sicut habet Salomon, Proverb. 6. 30. 5. laboriositatis, uti testatur David, Ps. 28, 2. 6. Infirmitatis, uti Tobias.

cap.

cap. 2. 12. *Ut discant iuvenes prudenter agendam esse in matrimonio: non tantum enim ibi sunt trulla voluptatum, sed & calamitatum hydria.*

16. *Quoad situm: politæ. Unde quidam colligunt, nuptias Iudeorum celebrari solitas non in privatis adibus, sed in publico aliquo loco, qui hebrais videtur dictus הבית 1. Reg. 9. 22. qui locus non procul abfuit à synagoga, vel à templo, ut ita epularentur coram Domino Dent. 12. 2. & in loci reverentia in timore Domini retinerentur.*

17. *In genere à fine: ad purificationem Iudeorum, Iudei enim ferè singulis horis abluabantur, & sic comedebant. Et si tetigissent leprosum, vel mortuum se lavabant quasi mundi forent, & cum Palestina in aquosa sit, nec ubiq; fontes inveniantur implebant hydrias aqua, habet Theophyl. & Chrysoft. Et colligitur ex Marc. 7. 8. Match. 23. 13.*

18. *Tum à capacitate: capientes singulæ metretas duas vel tres. Inequalis ergo capacitatis fuerunt. Dicitur vero metreta αἰτὸν ἑξαπηνήσων à metiendo: Estq; idem quod cadus & 60. sextarios, hoc est tres omas, ut vult Budæus continebant, quo muneris amplitudo & magnificentia exprimitur. Ut aquè simius*
libe-

*liberales in beneficentia, vide Augustinum tra^{ct}
9. in Ioh.*

19. Et causa principalis ab effectis, ubi
partim miraculi præstandi inchoatio. v. 7.
in quo causa efficiens: dixit eis IESUS.
Non enim alius præstitit, sed idem ipse. Et
quamvis potuerit ut omnipotens Dei filius, et-
iam sine ministerio famulorum; & implere hy-
drias aqua & vino, placuit tamen illi mini-
stris uti in insecuturam rei certitudinem, ut mi-
nistri potuerint testari, ipsum ista præstitisse.

20. Et materia: implete hydrias aqua.
Ita enim instructi erant ministri à Maria. Un-
de non inquirunt in mandatum, sed manda-
tum præstant statim. Aqua vero debebant
impleri, licet potuerit absq; ea creare vinum
ex nihilo. Et licet sit mirabilis, non tamen
ita videtur credibile, ait Chysost. homil. 21.
in Iohann. quam si substantia in aliam muta-
tur, facilius enim hoc multitudini persuaderi
potest, & quia elementa transmutare est solius
Dei, unde Ambrosius serm. 19. plus est natu-
ram permutare, quam facere novam materi-
am. Ut discamus, quod ipse sit ille, qui aqua
liquorem in vite increat, inquit Theophyl.
quamvis hoc assiduitate amittat admiratio-
nem August. tract. 8. in Iohan. Quin ut
bap-

Baptismum prefiguraret, habet Maximus Taurinensis, quod enim aqua novo ordine in vinum sunt mutata novi nobis poculi prelibatum est sacramentum. Tandem credendum est. Ambros. c. 6. super Lucam, mortalem hominem in immortalitatem posse converti, quando vilis substantia in preciosam conversa est. Etiam aquam in vinum mutare voluit, ob officii precellentiam. Pharisaorum enim doctrina quid aliud erat, quam aqua turbida, qua per Christum in læticia vinum conversa. Et ut Mosè ab officii sui initio aquam mutavit in cruorem ita Christus aquam mutat in vinum, quod miraculum gratie.

21. Tum effectus: & impleverunt eas usque ad summum. Quo obedientia ministrorum denotatur Magna enim est utilitas hominis, inquit Augustinus in sententiis sentent. 286. jubenti Deo etiam incognita iussionis ratione servire.

22. Et miraculi consummatio. v. 8. in quo partim repetitum mandatum: tum haurite nunc. Hoc est ex ipsis hydriis, unde Syrus habet deinceps, ut testes essent eo certiores, quia aquam infuderant hydriis.

23. Tum & ferte Architrachino. Cum enim ipsi totius dispositionis nuptialis commissæ
esset.

esset cura, merito sobrium virum, ait Chryſt. hom. 21, in Ioh. in miraculi testimonium adducit, quibus enim tale concreditum est ministerium magis sobrii sunt, habet Theophyl. ut illorum iussu, omnia quae ibi geruntur ordine fiant & compositè. Et quod habet Gaudenſius, tract. 2. de lectione Evangelica ordine 9. nuptiae apud Iudeos cum fierent unus dabatur de sacerdotali ordine, qui mores disciplina legitime gubernaret, pudorisq; curam gereret conjugalis, simul etiam conviviorum apparatus, ministros atq; ordinem dispensaret.

24. Partim effectum: & tulerunt. *Ut omnes qui rei huic intererant oculati testes esse possent, ad maiorem facti evidentiam.*

25. Tum manifestatio, respectu ministrorum estq; tum Architriclini gustatio v. 9, in quo antecedens habet explorationem, quae ostendit causam impulsivam: ut gustavit architriclinus. Quippe cuius officium erat, Est enim architriclinus, ut ita dicitur, qui convivium curat, qui 1. Reg. 9, 23. אֲרִיכְלִינִי sive coquus dicitur, Esth. 1, v. 8. אֲרִיכְלִינִי vocatur. Cuius cura erat attendere etiam, ait Lyra, ne hilaritas nuptialis degeneraret in belluinam ebrietatem. Et quis saporum erat peritus, esq;

eiq; defectus pra omnibus notus, ipsi erat offerendum & gustandum.

26. Tum materia: quod aqua vinum facta. Quid autem mirum, si Dominus omnium propter hominem aquas vertat in vinum, qui ut hominem conderet terram transformavit in carnem? inquit Maximus, homil. 6. in Epiph. Domini. Unde divinitatis est certissimum argumentum, cum per se & propria virtute hoc fecerit.

27. Et accidentalis ignoratio, quoad architriclinum: & non sciebat unde esset. Quippe non interfuerat mandato Christi. Unde in Majorem rei veritatem afferri & gustari vinum ex aqua à se factum Christus voluit: quo majori fide de vini qualitate pronunciare posset.

29. Respectu ministrorum: at ministri sciebant haurientes aquam, quos tanquam testes propterea adhibuit.

29. Consequens: Vocat sponsum architriclinus. Nam si ministros interrogasset, utiq; miraculum revelassent, & nullus eis credidisset. Idcircoq; ordinavit Dominus ne ministri



nistris

uistri interrogarentur, sed sponsus, inquit Theophylactus.

30. Et architrictini exostulatio v. 10. in quo in genere argumentatur architrictinus ab indecoro per simplicem assertionem. Omnis homo primum bonum vinum ponit. Miratur enim vini qualitatem architrictinus, quasi precipuam. Nec tamen aliud nisi optimum vinum esse poterat, quod factum miraculose à Christo fuit. Sponsum etiam quam commode, ut mihi videtur inquit Cyrillus, incusat, quod peracto fere convivio, nec ante optimum vinum obtulerat. Quia melior etiam est mutati vini natura quam nati, quod in arbitrio creatoris est, ad quos usus velit assignare creaturas, & quas naturas impertiri gignendis. Vide, inquit Ambrosius. 5. in Lucam, quantis operibus opus adstruat, dum aquam minister infundit, odor transfusus inebriat, color mutatus informat, fidem quoque sapor haustus cumulat. Et quid mirum, si eius jussu aqua meliorem proficit in saporem, cujus operatione cum amara esset in myrrha bibituris populis ligno medicante dulcata est, habet Maximus Homil. 6. in Epiph. Idem, eo majus miraculum dum, quod in Syria-

eo legitur, rubrum colligitur, quod & Prudentius habet hymno 9. Cathemeroni v. 28.

Cantharis infusa lympha
Fit falernum nobile.

Quo denotat Evangelium, nam omnes aquae ante evangelium, quasi liquidiores & inspidiores erant, postmodum per evangelium spiritualiter dijudicata vinum sunt optimum habet Theoph. in Johann.

31. Et per contrariam rationem: cum autem inebriati fuerint, tunc deterius. Non quidem ac si probaret ebrietatem, cum nihil aliud denotet vocabulum, quam satietatem, sed allegat tantum consuetudinem, ut colligitur Gen. 43, 34. & Hagga 1, 6. Ut poculum non ebrietatis sed hilaritatis ostendatur: simulq; mundana prudentia inculcetur. Alias vinum Dei est, ebrietas diaboli opus, habet Chrysostr. hom. 1. in illud Apostoli, vino modico utere.

32. In specie à contrario. Tu autem servasti bonum vinum usque nunc. Erat enim in more positum, ut primo ad hilaritatem hospitem excitandam optimum vinum pro-

⊙ 2

po-

posuerint, postea autem, ne inebriarentur vilius
 & deterius datum est. Quia vero Deus gra-
 tiarum largitor, non patitur bonorum carentia
 naturam hominis deprimi, multo melius no-
 bis quam prius vinum producit.

33. Respectu Christi, est majestatis &
 gloriæ manifestatio, v. II. In quo acci-
 dens sive circumstantia tum temporis:
 hoc fecit initium signorum Iesus. Publi-
 cum scilicet post baptismum, ante quod nul-
 lum editum, unde Tertull. lib. 2. de baptis.
 c. 9. Christus prima rudimenta potestatis suæ
 vocatus ad nuptias aqua auspiciatur: & Chry-
 sost. Epist. 83. ad oceanum inquit, ante tenta-
 tionem Dominus nullum miraculum edidit,
 sed primum signum ex aquis fecit. Non
 itaq; quemadmodum quidam volunt, antea
 miracula edidit ac si hoc primum non foret in
 Cana Galilææ, cum sequentia contrarium argu-
 ant, dum manifestavit gloriam suam, habet
 Theophyl. ex Chrylost. Signum verò pro
 miraculo dicitur per metonymiam adjuncti,
 cum sint vocationis extra ordinariæ divine te-
 stimonia.

34. Tum loci: in Cana Galilææ. Quare
 vero potissimum hic & non alibi, quemadmo-
 dum

dum etiam primum post resurrectionem, inibi discipulis apparere voluit, colligitur, quia transmigrationem denotat, dum in aliud vita genus transmigravit; & dum ipsi celebrantes nuptias etiam novum vita genus inchoaverunt ut doceremur cum manifestari gloriam, si veterem vitam malam negligamus.

35. Partim effecta, directè: & manifestavit gloriam suam. Hucusq; enim sub servi forma gloriam suam occultaverat, hoc verò miraculo cœpit eam hominibus manifestare: quia & multa & magna eodem signo peragabantur: sanctificabantur 1. nuptiæ; maledictio 2. mulierum in initio ortus nostri benedictio destruebatur; 3. gloria salvatoris quasi solis radii effulgebat. Cyrill. l. c. Iohann. c. 26. Et gloria erat clementia cum non dedignatus ad nuptias venire servorum, & gloria sapientia, quia desperante ferè matre ipsi succurrit, & gloria potentia, quia vocat ea que non sunt, ut sint. Hinc Sedulius poëta: novum genus potentia, aquæ rubescunt hydria.

36. Consequenter: & crediderunt in eum discipuli eius. Ante triduum enim primo vocati, per hoc in fide solidati sunt, ut loquitur Lyra. Antea admirati eum fuerant,

rant, ut habet Chrysoſt. hom. 22. in Iohan.
 modo credunt: magnum enim plane ſignum.
 Et ad Dei credendam ſufficiens majeſtatem;
 quis enim non miretur in aliud, quam erant,
 elementa translata? nemo enim poteſt mutare
 naturam, niſi Dominus natura. Ergo cum
 Dominus aquam in vinum vertit, non tantum
 hoc operatur, ne diſcumbentibus deſit hilaritas,
 ſed ut credentibus abundet aternitas, ut loqui-
 tur Ambroſius ſerm. 18. de ſancta Epipha-
 nia. Et quam bene potentiam Domini ſub-
 ſequitur devotio ſervulorum, quodq; magiſter
 docet opere, diſcipuli corde deſcribunt: apo-
 ſtoliq; dum mirantur aquam in vinum ver-
 ſam, ipſi ex omni fece peccatorum ſimiliter ſunt
 converſi, & inſtar facti miraculi ex vili ſuper-
 ſtitione gentilium in pretioſam credentium
 devotionem ſunt translati. Et ut aqua
 in vinum verſa ſapore, rubore, calore condi-
 tur; ita ſcientia quod erat in his inſulſum acce-
 pit ſaporem, quod pallens, gratia ſumſit colo-
 rem, quod frigidum, incaluit immortalitatis
 ardore. Magnificanda igitur Apoſtolorum
 fides, qua ideo Evangelico ſermone deſcripta
 eſt, ut & illis eſſet ad laudem, & nobis profice-
 ret ad exemplum. Sed quod pejus eſt his,
 illis laus ſua permanet, nos exempla non per-
 movent. Nam illi viſo ſigno uno, ſtatim Do-
 mino

mino crediderunt, nos acceptis tot beneficiorum mirabilibus adhuc dubitamus: dubitamus inquam, quia presentia diligimus, dum futura non credimus. Divitias amamus in seculo, dum accipere cunctamur à Christo. Credere ergo debemus, sicut tunc apostoli crediderunt. Sed credere opus est opere, non sermone, non lingua, sed corde, habet Ambrosius serm. 20. in die Epiphaniarum. Et tum miraculis opus erat priusquam crederet mundus ad hoc ut crederet mundus, habet Augustin. l. 22. de C. D. c. 8. quisquis autem adhuc prodigia ut credat. inquirat, magnum ipse est prodigium, qui mundo credente non credit.

NOTÆ.

I.

VOcatus fuit Christus cum discipulis) considera humilitatem Christi, qui non dedignatus est ire ad nuptias; ut discas eandem; Et quemadmodum nec

O 4 Sponsa


*Sponsa divellitur à sponso, ita nec
tu à Christo.*

II.

Quod dixerit vobis, facite) *considera obedientiam disci-
pulorum sine inquisitione; ut discas
obedire DEO, & libenter facere o-
mnia quaecunq; iusserit.*

III.

Manifestavit gloriam suam) *considera propterea fecisse
Christum signa, ut discas si velis
esse imitator Christi, etiam quò te
convertas, sed ad Dei gloriam.*



CASUS CONSCIENTIÆ.

*An Clericis liceat interesse
nuptiis?*

Non videtur, quia i. Christus statim
non adfuit, sed tandem vocatus com-
paru-

paruit, potius ut miraculum ederet, quàm
 ut nuptialem ageret. 2. quia præterea
 nunquam interfuisse legitur. Vnde Au-
 gustinus sibi gratulatur, uti testatur Po-
 sidonius in vita ipsius c. 27. quod nec
 petitus in patria sua ad convivium ierit,
 ne temperantia amitteretur modus. 3.
 & jura, potissimum Canonica, dum publi-
 cant matrimonia hodie regi jure poli, non
 jure fori, 2. q. 3. C. Euthemium: jubentur
 ebrii evitare convivia 1. distinct. 34. c.
 presbyt. Denique si ad eò sanctæ, cur
 non festis solennioribus Natalitiorum,
 Paschatos, Pentecostes, tempore Adventus
 & Quadragesimali celebrantur? Sed
 quum conjugium sit ordinatio divina Gen.
 1, 26. & 2, 28. Quum à Deo primi conju-
 ges conjuncti Gen. 2, 22. à Christo iterum
 probatum Matth. 19. 4. conjugibus bene-
 dictio divina promissa. Psalm 128, 1. Apud
 omnes honorabile esse debeat Hebr. 13, 4.
 Etiam nuptiæ non erunt mala, quia sunt
 propter conjugium.

2. In V. T. probatæ, ut Rebecca, Gen.

24, 45. Labani Gen. 29, 22. Simsonis
Jud. 14, 10. Ahasveri Esth. 2, 18. & de-
nique Cananea Johann. 2, 1. seqq. De
quibus Augustin. de bono conjug. c. 3.
inquit: Bonum conjugii Dominus in
Evangelio confirmavit, quia ad nuptias
solennes invitatus venit. Epiphanius
addit lib. 2. hæres. 67. accedit ad nuptias
Salvator ut obturet ora eorum, qui loquun-
tur contra veritatem. Et si nuptia non
sunt sancta, inquit Tertullianus lib. 1.
adversus Marcion. c. 29. sanctitas nulla
erit.

3. Jura probant. Vnde peculiare
tituli in omnibus partibus juris. Quæ &
inter cætera dicunt nihil hominibus esse
utilius nuptiis. Novell. 39. de Restit. in
præfat. circ. fin. quia replent mun-
dum. Novel. de his qui nupt. iterant,
Const. 22.

Injure Canon. C. 30. q. 5. & dist. 31.
C. Nicena. Quæ in contrarium alle-
gantur frivola sunt. Quamvis Christus
non adsuerit, tamen venit, & venit ut
ma-

magnificaret. *Vadit ad nuptias*, inquit Maximus h. l. Epiph. dei filius, ut quas dudum potestate constituit, nunc presentia sua sanctificatione sanctificet. Et Luc-4, 14. Si vocatus fueris dicit, vade, non mane domi. Et licet non legatur nuptiis alibi interfuisse, tamen sufficit semel, quod enim semel placet amplius non displicet. semel de R. I. in 6. Interim tamen regnum caelorum nuptias facienti saepius comparavit. Et, quod habet Chrysof. hom. 20. in Joh. non solum dignitati sua, sed & nostra consuluit utilitati. Augustino Augustinum opposuimus. Loquuntur de abusu, Canonica jura potius, & de lascivis & luxuriosis convivis. Aut si de veris, non agnoscimus cum sint contra Canonicam veritatem. Hoc notandum illos propterea forsitan noluisse clericos interesse quia non libenter honoraria nuptialia offerunt, quod tamen Christum fecisse probatur, uti & Raquel fecit Tob. 8. 27.

An

An matrimonii causa spiritu-
alis sit?

Non videtur quia 1. & Ethnici matri-
monia habent, 2. est juris naturalis
maris & feminae conjunctio l. §. 1. de l. N.
G. c. 3. quia scriptura non tanquam de
re spirituali de iis tractat, sed uti de re po-
litica. Addunt alii alia: quia 4. in-
quiunt, secundum canones in nostris terris
non judicatur. 5. ab ipsis propterea pasto-
ribus jus canonicum non tractatur. 6.
Iidem jus Canonicum improbant. 7. Christus
noluit esse iudex ubi adultera ipsi adduce-
batur. Joh. 8. 8. neque ullibi legitur Aposto-
los circa has causas fuisse occupatos; neque
secundum scripturam cause determinan-
tur matrimoniales.

Sed contra 1. Deus instituit matri-
monium non tantum, sed & conjuges con-
juxit, primisque conjugibus benedixit. 2.
certas leges prescripsit, & eas in N. T. rati-
one repudii & consanguinitatis repetiit &
Matth. 19, 4. 3. Christus nuptiis interfuit
& eas presentia sua honestavit Luc. 2, 2.
Hoc praeterea auctoritas principum ita con-
fir-

firmavit, ut in Consistoriis ad quae matrimoniales causas pertinent assideant Theologi. Ita Augusti Electoris constitutio. Unde ad argumenta contraria respondendum 1. licet Ethnici habeant matrimonium, tamen non tale, quale Christiani: habent & illi sacerdotes suos, sua sacra. Valerius maximus l. 1. c. 1. 2. 3. At quis tam absurdus, qui non esse propterea ista spiritualia negotiadicat. In secundo argumento est fallacia causa: nã & Deum esse ex natura patet, unde & in jure dicitur religionem esse juris gentium l. 2. ff. de i. & i. At verò quae Deum concernunt omnino spiritualia sunt. In tertio verò petitio principii est: nam secundum quid est juris naturalis, sed quoad formale, etiam est juris divini, quia nimirum & adumbratur mysterium incarnationis, & quodammodo Ecclesiae communicatio. uti Apostolus. Eph. 5, 24. Quod Canones attinet, respondendum ex eis quidem non judicatur quatenus auctoritate valent Pontificis, sed quatenus consensu Imperii & Statuum in quibusdam sunt probati, quum

quum pleriq; ex sacris, ex patribus desumpti, in plerisq; sint conformes. Unde petitur principium, ac si non judicaretur secundū canones: Omnino enim quatenus nō repugnant vel pietati, vel honestati observantur. Non tractari, non laudabile est; quia jubentur omnia probare, eaq; ut alii Christiani, ut bona, quæ habent retineant. Leguntur adversariorum scripta alia. Unde Lutherus 1530. libello Germanico edito juris Canonici lectionem Theologis commendavit. Ergo legunt. Etiam falsum est illud, nam videatur tantum Gerhardus in catholica veritate, lib. an legerit, quum in omnibus quoq; fere alleget, patebit. Hinc Idem, ut & Meifnerus iubet legendum esse in methodo studii Theologici.

Improbant verò jus non simpliciter, sed quatenus 1. præfertur scriptura. 2. quatenus confirmare videtur potissimum Pontificiæ autoritatem 3. quatenus contra scripturam aliquid habet. Videatur Beutnerus Heidesianus. Unde & in nostris

stris Academiis semper adhuc dum profes-
 sores, & quidem Antecessores habentur
 juris Canonici. Christus autem propterea
 noluit esse iudex, quia venerat non iudica-
 re, sed salvare, & absolvere, non condena-
 nare. Luc. 12, 14. Quin in eo ipso obser-
 vavit iura, dum forum non erat compe-
 tens l. 7. §. in ff. De in crim. l. 4.
 c. 17. 2. dum auctore non probante absol-
 vit reum, 3. dum secundum iura, nemo
 alium accusare potest, qui ipse ejusdem cri-
 minis reus. l. 5. ff. de publ. Jud. l. 9. ff. de
 acces. fin. C. de ord. cogn. Farin. q. 12. n.
 28. arg. l. 13. §. 5. ff. ad l. Jul. de adul. l. 2. ff.
 de Publ. Jud. Licet deniq; Apostolos non
 legamus circa has causas fuisse occupatos,
 non tamen etiam legimus, prohibitum fu-
 isse. Quid? Apostolus Paulus de ince-
 stu, desertione, de officiis mariti & uxoris
 & viduarum agit. Aliud preterea est
 Apostolus, aliud ductor & pastor Ecclesie
 illud officium personale, hoc generale. Ger-
 hard de ministerio. Non quidem, quod
 alterum erat, secundum scripturam hæ cau-

sa

*se determinantur quia leges forenses sunt
 abrogate: Interea tamen neq̄ contra scri-
 pturam in eo negotio agitur. Et quamvis
 etiam Iurisconsulti conscientiam habeant,
 tamen non nocet saepius moneri, ne ledatur
 eadem. Et cum benedictionem imperti-
 antur, equum erit, & pium, ut sciant, quia
 multi casus interveniunt, an jure, an me-
 rito: ne hic etiam suam ledant, & statim
 omnibus omnia credant. Sacramentum
 quidem non est matrimonium, uti Cano-
 nes volunt, sed tamen actio tam profana
 non est ac figulina, vel mercatura.
 Videatur D. Gerhardus de conjugio p.
 1157. Menzerus 23. disp. Tom. 5. Giesli
 p. 849. ubi uberius tractan-
 tur singula.*






Turpe negare potest nemo, quod fœdera sponsæ,
Ceu servat, sic & sanxerit ipse Deus.
Tertia Titanis fulgebant lumina Cane
Cum Galileorum turba parasset hymen.
Illic mater erat Iesu: simul ipse vocatus,
Et cum discipulis concelebravit opus.
Deficit ac vinum: mater compellat Iesum:
Fili, prorsus adest copia nulla meri.
Quid mihi quid tibi sed mulier modo, subjicit
ipse
Est nondum presens hora statuta mihi,
Interea mervit fidei tamen illa, ministros
Hos dum quò faciant qua facienda, jubet.
Sex aderant hydrie factæ de marmore postæ,
Ceu Iudeorum ponere turba solet.
Binas aut ternas capiebat & una metretas:
Istas impleri iussorat, ipsius aqua.
Has ut adimplerant, jubet hinc haurire, dariq;
Architriclino, gustet ut ipse, merum.
Nescit ac architriclinus quod Nectar, & unde:
Iluo vocat Sponsum: querit atq; simul:
Omnis homo primû, quod nobile ponit, at inde,
Ebria quando cohors, deteriora solet.
Tu servare bonum voluisti. Dissere causam!
Quare servasti dum satur omnis homo?
Edidit

Edidit hoc primum signum: manifestat & una
Quis sit? Discipulis major & inde fides.
Talia WEIGELIUS diducit. Pergat at idem!
Huic bona non potis est ulla negare Deus.
GUEINZIUS.

בְּכוֹל בַּיִת הוּא רֵאֵבָה
יַעֲקֹר אֹת טוֹב מֵעֵצָבָה
אֲבָל מִהָר עֵזֶר יְהוָה
לִיּוֹן יֵשׁ הוֹפֵךְ וְהוֹחַ
וְגִילּוֹס זֶה לִמֵּד בְּמִלָּה
יִרְדַּף סָפוּ לוֹ תְהִלָּה:

Samuel Sturmius. L. L.

Sonnett.

 S lobe wer da will den Wein vom Rheine/
Dazu den safft den aus den trauben drückt
Das heisse Spanien / und den uns schickt
Des Jovis Vaterland / Cretam ich meine/
auch den der wächst in Formianschen Hänne:
Er lobe Malvasier der oft berückt
Der Menschen Sinn / und gleichsam sie entzückt
Ich halts o Jesu Christe mit deinem weine.
Dem selbst genachter Wein ist überlegen
Dem allerkräftigsten: Salerner safft
ist nichts denn lauter wasser mir dargegen.
Von solchen Weine thut mein WEIGEL sagen/
Fährt er so fort / so wird der Famen Krafft
Ihn hin zum blancken Milch weg tragen.
Theodorus Securius.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017




EVANG.

CHRIST

HALL

Q2 C





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



ARUM
LICARVM

io Decima

SIDE

GUEINZIO

ii Salani

store


dente,

WEIGELIO

lia-Franco

post Epiphanias.

Io. Ioc. III.



AXONUM

Melchioris Oel-

gely.

